

No. 13. 1285. 7. Dec.

Markgraf Friedrich von Landsberg eignet dem Stift Merseburg anstatt der dem St. Clarenkloster zu Seuslitz überwiesenen stiftischen Lehnstücke, der Mühle und des Dorfes Naundorf vor der Stadt Leipzig, das Dorf Sctz.

In nomine domini amen. Nos Fredericus dei gratia marchio de Landesberc omnibus hanc paginam inspecturis volumus esse notum, quod quia venerabilis in Christo pater dominus Henricus Merseburgensis ecclesiae episcopus proprietatem molendini siti prope muros Lipzenses apud fratres minores^{a)} et villae Nuendorf^{b)} eidem molendino adiacentis cum attinentiis suis, quae omnia ad decem et novem marcarum redditus aestimantur et quae nos ab ecclesia Merseburgensi titulo tenuimus feodali, post liberam nostram resignationem ad manus eiusdem domini episcopi factam ad laudem dei omnipotentis et precum nostrarum intuitu de voluntate et consensu totius capituli ecclesiae Merseburgensis monasterio sororum in Suseliz ordinis sanctae Clarae perpetuo possidendam donavit, ne ipsa Merseburgensis ecclesia aliquod patere-
retur ex donatione huiusmodi detrimentum de proprietate nostra quatuordecim mansos in villa Sctz^{c)}, quorum Guntherus de Predele tres et dimidium solventes quinque marcas, Wernerus de Kroznewitz tres et dimidium solventes quinque marcas, Theodericus de Ghozouue tres et dimidium solventes quinque marcas, Guntherus de Dubene tres et dimidium similiter solventes annuatim quinque marcas a nobis tenent iure feodali, praedictae ecclesiae Merseburgensi dedimus in restaurum et eosdem mansos cum areis et aliis attinentiis suis ex nunc in ius et proprietatem eiusdem ecclesiae Merseburgensis transferimus in his scriptis. Datum anno domini M°.CC°. LXXXV°. VII°. Idus Decembris, praesentibus testibus infra scriptis videlicet domino Heinrico de Trebecin, domino Heinone Knut, domino Themone Knut, domino Heinrico de Slatebach magistro curiae et aliis quam plurimis fide dignis. In huius igitur rei evidentiam sempiternam praesentem litteram nostri sigilli munimine fecimus roborari.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Merseburg mit dem sehr beschädigten Siegel an einem Pergamentstreifen. Drei weitere auf diesen Vorgang bezügliche Urkunden vom 20., 29. und 30. Jan. 1286 sollen im Urkundenbuche des Klosters' Seuslitz mitgetheilt werden.

a) Die Barfussmühle. b) Das Naundörfchen. c) Zetzsch bei Hohenmölsen im Kreise Weissenfels?

No. 14. 1287. 29. Sept.

Markgraf Friedrich von Landsberg bestätigt den Bürgern von Leipzig das von Alters hergebrachte Schuldverfahren und fordert thätige Beihülfe des Schultheissen.

Nos Fridericus dei gratia marchio de Landisberc recognoscimus tenore praesentium publice protestantes, quod nostris civibus sive burgensibus in Lipzk liberam quam antiquitus suorum habuerunt debitorum exequendi dedimus facultatem, volentes